

Sortis, et aequorei cessit tutela tridentis.

Tu mihi, flumineis habitatrix Naüs in oris,  
Squamigeri gregis ede choros, liquidoque sub alveo  
Dissere caeruleo fluitantes amne catervas.

Squameus herbosas Capito interlucet arenas,

Viscere praetenero, fartim congestus aristis,

Nec duraturus post bina trihora mensis.

Purpureisque Salar stellatus tergora guttis;

Et nullo spinae nocitus acumine Redo;

Effugiensque oculos celeri levis Umbra natatu.

Tuque per obliqui fauces vexate Saravi,

Qua bis terna fremunt scopulosis ostia pilis,

Cum defluxisti famae majoris in amnem,

Liberior laxos exerces, Barbe, natatus;

Tu melior pejore aevo, tibi contigit uni

Spirantum ex numero non illaudata senectus.

Nec te, puniceo rutilantem viscere, Salmo,

Transierim, latae cuius vaga verbera caudae

Gurgite de medio summas referuntur in undas,

Occultus placido cum proditur aequore pulsus:

Tu loricato squamosus pectore, frontem

Lubricus, et dubiae facturus fercula coenae;

Tempora longarum fers incorrupte morarum,

Praesignis maculis capitis, cui prodiga nutat

Alvus, opimatoque fluens abdomine venter.

Quaeque per Illyricum, per stagna binominis Istri,

Spumarum indiciis caperis, Mustela, natantum,

In nostrum subvecta fretum, ne laeta Mosellae

Flumina tam celebri defraudarentur alumno.

Quis te naturae pinxit color? atra superne

85.

90.

95.

100.

105.

110.